

IX. c. VIII. Postremo irrisores eorum, qui S. Constantinum martyrem, episcopum Perusinum sepelierunt, cæcitate ob derisum pium opus percussos, legimus apud Sur. 29. Jan.

V. Quia conducit viventibus, ad imprimendam eis mortis memoriam. Quid enim potentius moveat nos ad humilitatem et meliorem vitam, quam si oculis nostris sepulera objiciamus, in quibus cernimus, quis sit finis mundanæ gloriæ! Quis honorum, quis divitiarum carnisque voluptatum. Sed audiamus de hoc S. Aug. ser. LXVI. de verb. ap. « Rogo vos fratres, quoties juxta sepulturam divitis transitis, ut diligenter inspicatis. Ubi sunt eorum divitiæ vel ornamenta? Ubi gloria? Ubi vanitas? Ubi luxuria? Ubi voluptas? Vel ubi eorum sunt spectacula, considerate diligenter et videte et agnosceite, quia nihil aliud in eis est, nisi cinis et fœtor et vermis. O homo vide sepulera mortuorum, et dic tibi tu ipse: Ecce nunc ex illo misero, qui hic depositus fuit, nihil aliud nisi ossa et pulvis evenit. Et vere homo, si ipsa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt et dicere: O miser quantum pro cupiditate hujus sæculi discurre! Attende ad me, intellige, considera me, et vel sic tibi horreat luxuria tua vel avaritia tua. Hoc quod tu es, ego fui, et quod ego modo, tu eris postea. Ecce quales prædicationes ossa et cineres mortuorum quotidie proclamant! » Hoc ut antiqui Christiani filiis suis a teneris instillarent, solebant diebus festivis et dominicis circumducere eos ad sepulera contemplanda. Quod etiam de se testatur S. Hier. in Ezech. c. XL. *Cum essem Romæ puer et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem pietatis et propositi, diebus dominicis sepulera apostolorum et martyrum circumire, crebreque cryptas ingredi.* Quin et gentiles in regno Mogor. in more habebant, ante nuptias sepulcra obire, reserare et contemplari, ut scribit in hist. rer. indie. hier. Xaver. Ac ne putemus sine fructu hoc fieri, consideremus grandem illum peccatorem, Jacob, primo per annos 40. anachoretam in omni virtutum genere excitatum, postea fraude diaboli eversum, factumque scortatorem, homicidam scorti sui; qui tandem cum desperabundus hinc inde oberraret, incidit in monachum prudentia et sanctitate præditum, ejusque consilio et hortatu ad poenitentiam redactus, locum expiando scelere admissio repetit antrum ossibus refertum, ibique domicilium sibi constituit, ponens ossa arida in conspectum suum et perpetuo contemplans, quidnam illi olim fuissent, qui nunc essent: seque talem aliquando fuisse, quales illi erant: moxque talem futurum, quales illi jam sunt.

Cumque per annos quatuordecim perstitisset in hoc habitaculo et contemplationis studio tantas animæ reparavit vires et comparavit sanctitatem, ut vicinæ regioni Dei monitu innotesceret, et post diurnam terræ siccitatem suis precibus impetraret pluviam, et quidem iteratis vicibus, fieretque deinceps miraculis illustris. Refertur apud Sur. 23. jan. Tantum profuit huic lapsu, quantumvis in profundum barathrum, contemplari sepulcrum et ossa sepulcrorum, inter illa versari, ea tangere, intueri, versare. Bene igitur huic quadrat, quod Job, c. XXI. dixit: *Ipsæ ad sepulcra ducetur, et in congeriem mortuorum vigilabit.* In hanc enim ossium congeriem deductus evigilavit miser ille ad poenitentiam et salutem.

Quando igitur vidimus quanto jure quantoque fructu defunctos nostros sepulturæ commendemus, superest, ut huic fratri nostro ad sepulcrum deposito gratulemur potius, quam condelemus; dum videmus eum in complexu matris omnium nostrum constitutum eo loci deponi quasi cimelium pretiosum, ubi tamdiu asservabitur, donec suo tempore repetatur ac restituatur magno cum fœnore, etc.

### CONCIO XIII.

CUR IN LOCIS SACRIS SEPELIRI DECEAT CHRISTIANOS.

Magna semper cura et sollicitudo fuit fidelibus Dei servis, ut sicuti in vivis refugiebant a consortio infidelium, ita et in morte ac sepultura ab ipsis procul abessent. Patet hoc imprimis in antiquis v. t. patribus, Jacob et Joseph, qui in Egypto quidem mortui, noluerunt tamen ibi inter gentiles sepeliri, sed mandarunt ut ipsorum corpora in Palæstinam terram promissionis, ubi Christus erat nasciturus et templum erigendum, deportarentur ad sepulturam. In eadem terra Chanaam seu Palæstina emit sibi et conjugi suæ Abraham locum sepulturæ, Gen. XXIII. Multo adhuc major cura Christianorum fuit, ut non modo non inter infideles et hæreticos, sed etiam ne in profano alio quocumque loco sepelirentur: sacro dumtaxat in loco requiescere cupiebant. Audiamus S. Dionys. S. Pauli discipulum, qui in eccl. hierarchia, c. VII. scribit: *His peractis pontifex condit in loco dignissimo corpus cum aliis sui ordinis corporibus sacris.* Et Clementem Rom. S. Petri et Pauli discipulum, qui l. VI. const. apost. c. XXX. scribit: *Convenire in cæmeteria sacros libros in eis legentes et psallentes pro his qui dormierunt.* Cum enim, tempore persecu-

tionis, Christiani templa non haberent, convenire solebant in cæmeteria eaque subterranea seu cryptas, in quibus et rem divinam peragebant, et defunctos sepeliebant, quales adhuc Romæ visuntur. Ea vero loca consecrari solita a sacerdotibus testatur S. Greg. Turonens. de gloria confess. c. CVI. Unde S. Cypr. mart. l. I. ep. IV. arguit *Martialem quemdam, quod filios suos easterarum gentium more* (apud profana sepulcra deposuerit) quo ipso indicat jam ipsius tempore sacrari consuevisse cæmeteria pro Christianis. Denique et in templis sæpe tumulatos fuisse honoratios fideles, testis est S. Ambros. l. I. de Abraham, c. III. S. Hier. in vita Paulæ et Fabiolæ, S. August. l. de cura pro mort. c. I. causas porro hujus cæremonie, ne derideant eam infideles et hæretici, nunc inquiremus.

I. Est, quia et ipsa Christianorum corpora sacrata fuere primo in baptismo, deinde in confirmatione, sacro chrismate inuncti, sacre Christi militiæ adscripti et quasi reges quidam inaugurati, denique aliis sacramentis purificati et sanctificati, imprimis vero s. eucharistiæ viatico paulo ante obitum communiti fuere. Jam si Ecclesia sacros cineres necnon aquam baptismi sacramentum et adhibitam prohibet in profanum effundi locum, adeoque intra templum in piscinam, ut vocant, sacram potius mitti jubet, cur non potius Christianorum corpora, tot modis Deo consecrata, et in quibus ipse Deus inhabitare dignatus est, sacro etiam loco reponenda sint? Sane Naaman ille Syrus princeps postquam abjuratis falsis diis verum Deum cognovit, et colere cepit, nefas putabat si in posterum existens in templo idolorum ad obsequium regis sui, in profano suo stare, ideoque a Palæstina terram sacram, in qua stetit Elisæus, et coleretur verus Deus, secum extulit, quantum duo burdones portare possent, eamque pedibus suis substravit: protestans eo facto se Dei Israel cultorem, adeoque digniorem effectum, quam ut cum idolatris in profano solo pedem suum figeret, IV. Reg. III. Denique si præsepe, in quo jacuit infans Christus; mensa in qua cœnavit; vestis qua indutus fuit; crux, in qua pependit, maximo cum honore in sacris asservantur locis; cur non et corpora fidelium, in quibus toties hospitatus et exceptus fuit?

II. Quia in cæmeteriis etiam solent fideles fundere preces suas pro defunctis, qui ibidem requiescunt. Facit autem non parum ad devotionem precari in loco sacro, primo, quia ingerit homini Dei peculiarem præsentiam, qualem promisit templo Jerosolymitano, consecrato sub Salomone, III. Reg. IX. *Erunt oculi mei et cor meum*

*ibi cunctis diebus,* et II. Paralipom. VII. *Erunt oculi mei aperti et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in isto loco oraverit.* Deinde, quia in loco sacro orantes magis se componunt ad devotionem et reverentiam; ut patet in Jacob patriarcha, qui visa per somnum, Dei et angelorum præsentia, in ostensa Dei scala, horrore et timore sacro perfusus, magna cum reverentia Deum invocavit, et exauditus est, Gen. XXIX. Unde et consecravit mox locum illum, erigendo lapidem in titulum seu altare, et fundendo oleum desuper; ut in posterum esset locus sacer et precibus destinatus, et vocaretur Betheli, h. e. *domus Dei.* Accedit major ad orandum quies et securitas, quæ est in loco sacro, potius quam profano: quia sejunctus est a tumultibus et negotiis sæcularibus, quæ orantes turbare solent, necnon a malignis spiritibus, qui insidiantur piis precibus, quia norunt eas esse flagellum suum. Est ergo consecratio loci sacri quasi vallum aut murus quidem igneus, erectus contra insidias dæmonum. Quod si in templo ipso sepeliantur aliqui, possunt inde gaudere emolumento aliorum sanctorum, scilicet qui ibidem corpora aut reliquias suas depositas habent, protectione et patrocinio; si cum in vivis essent, sociari illis in sepulcro die desiderarunt eorumque presidio se commiserunt. Qua de re S. Maximus, in ser. nativ. SS. Octavii, etc. scribit: « Sanctorum ossibus nostra corpora sociamus, ut dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat: dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. » Quod intelligendum, si devotio sepeliendorum, ad sanctos illos præcessit. S. August. in l. de cura pro mort. c. IV. alteram addit rationem, quia: *Cum recolit animus, inquit, ubi sepultum sit charissimi corpus et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus.* Sane propheta ille reprobus, qui bonum alium vatem circumvenerat, et ad prævaricandum Dei mandatum induxerat, ita ut miser ille in poenam transgressionis suæ leoni traderetur jugulandus, hoc mandatum filiis suis dedit: *Cum mortuus fuero, sepelire me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea,* III. Reg. XIII. Quod ipsi saltem eo profuit, ut non eruerentur ossa ejus ad comburendum, sicut aliorum pseudoprophetarum ossa, ex mandato Josiæ regis eruta sunt, sed parceretur ei propter illum vatem bonum, in cujus sepulcro conditas erat, IV. Reg. XXIII. Quare si pium quoddam votum ad sanctorum illorum, qui in templo aliquo requiescunt, sacra lipsana præcessit, haud dubie sub umbra eorum refrigerium

aliquod sentient. Ita enim scribit S. August. « Si quidam credidit ejus animam meritis martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quaedam fuit, » l. de cura pro mort. Qua de causa S. Ambros. in basilica sua juxta SS. Gervasium et Protasium sepeliri voluit: fratrem vero Saturnum ad S. Victoris Milævam sepeliit: Marcellina eorundem soror Roma transferri et ad ss. fratres condi petiit. Ex eodem pio affectu « Constantinopolitani reges et imperatores magni pendebant, corpora eorum non prope apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliri, » inquit S. Chrysost. hom. *Quod Christus Deus est, contra gentes.*

III. Quia per hoc distinguuntur catholici ab hæreticis et infidelibus, et separantur ab eorum communione etiam post mortem, dum sepultura sacra gaudent, quam respuunt et derident illi, ideoque in profanis locis tumulari solent; uti patet experientia, et de Boemis hæreticis testatur Æneas Sylvius, de orig. Boemor. c. XXXV. quorum dux et antesignanus Ciscas, moriens pellem sibi detrahi mandavit, relictoque feris cadavere, ex cute tympanum fieri in hostium terrorem. Testatur etiam Simon Pauli, prædicans Lutheranus, hom. in evang. de filio viduæ resuscitato, esse Lutheranos, quibus perinde sit, sive sepeliantur in cœmeterio, sive in laniena ubi jumentorum cadavera objiciuntur canibus. Atque hinc bonus quidam senex in Palatinatu prope Werdam Bavaricam infra Ratisbonam ad Danubium morti jam propinquus, cum non multo ante hæresis illie introducta fuisset, in lamentabilem vocem erupit: « Proh! dolor! quod post mortem meam ad raparum efferri agrum, et raparum effici custos debeam. » Refert P. Gretserus, de funere christiano, l. II. c. X. Hujusmodi sacræ sepulturæ derisoribus merito ea negatur ab Ecclesia, c. *Si episcopus de hæret.* Nam ut S. Leo ait, ep. XCVII. c. VI. *Quibus viventibus non communicavimus, eis mortuis quoque communicare non possumus.* Multo magis Judæis et paganis de consecr. d. I. c. *Ecclesiam* et c. seq. Quibus accensendi excommunicati et interdicti, si adhuc innodati decesserunt. Exempla recensui in tripart. Conc. tom. XV. post pent. c. VIII. lit. F. Quibus accensendi manifesti usurarii, raptores, et qui sibi ipsis necem intulerunt voluntarie; blasphemii quoque, ac denique notorii ac graves peccatores, si absque pœnitentia, et in primis absque communione semel in anno saltem peracta, impœnitentes mortui sunt. Quorum exempla aliquot ibidem adduximus, et hic brevitate amore non repetenda putavimus.

Pro conclusione porro sciendum impus quibuscumque si in peccatis suis obierunt, nihil plane prodesse sepulturam sacram: sicut et illis, qui in templis inhumantur, si nulla eos devotio ad locum sanctum eligendum permovit. Nam ut ait S. Greg. l. IV. dial. c. L. « His, quos peccata gravius deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsumptione judicentur quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. » Cujus rei exemplum refert ib. c. LVI. de Valeriano Brixiano quodam flagitioso nobili, sed vitio carnis ignobiliore, qui cum ab episcopo urbis moriens petisset sepeliri in ecclesia S. Faustini martyris, annuit antistes. Mortuo igitur illo sine pœnitentia, et sepulto eadem nocte sacristæ S. Faustinus dicens: *Dic episcopo ut projiciat hinc fatentes carnes, quas hic posuit; quod si non fecerit, die trigesimo ipse morietur.* Timuit primo, custos Ecclesiæ indicare hoc mandatam; secundo, igitur, martyr apparens idem ipsi demandat. Quod cum episcopus exequi contemneret, die trigesimo sanus et incolumis subita morte percussus interiit. Idem c. LVII. aliud subjicit de quodam sepulto in ecclesia, qui postea extra ecclesiam ejectus, solis relicti linteaminibus est repertus. His addit plura alia sibi perspecta hujusmodi exempla que hic prætereo alibi a me notata. Vicissim vero nihil obest justo indigna sepultura, quia ut S. Chrysost. hom. LXXXIV. in Joan. ait: « Terram optimum habemus operimentum, et ipsi corporum naturæ decentius. » Et paulo post: « Sepulturam optimam putamus optimam vitam. » Propterea sancti aliqui vilissimo in loco atque inter abjectos homines sepulturam sibi delegerunt, uti S. Ephrem, qui petiit (in testamento suo conscripto) sepeliri in cœmeterio, ubi contriti corde jaent: non in monumento suorum majorum. Idem mandavit Marcellinus papa eum ad martyrium duceretur Marcellino presbytero, ne corpus suum sepulturæ traderet, quod diceret ob negatum Salvatorem, et thus metu mortis diis immolatum se id nequaquam mereri. Verum jussu S. Petri, qui Marcello in somno apparuit, in cœmeterio Priscillæ honeste tumulatus est, Platina in vita. Similiter S. Gregor. Turonens. episc. eo loco se inhumari jussit, ubi semper omnium pedibus calcaretur. Quod tamen postea non ferens pia plebs, eum e terra levavit, atque juxta S. Martinum in mausolæo edito locavit, apud Sur. in vita 17. nov. Denique S. Monica, moriens filio Augustino de sepultura matris sollicito: *Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad altare Do-*

*minimemineritis mei* uti refert August. I. IX. conf. c. XI. Quando igitur vidimus Ecclesiam justis de causis sacra loca deputasse Christianorum sepulturis, est certe, quod de hoc gratulemur nobis, eaque loca debita cum devotione subinde revisamus, ut pro defunctis nostris preces ibidem effundamus, necnon dispiciamus, quem et nos inter illos locum sortituri simus. Est deinde ut gratulemur defuncto nostro, qui hoc loco sacro dignus habitus est, utique quia vitam egit christiano homine dignam, ut mereretur in ovili Christi dormire, qui inter oves Christi vixit et ovis, etc.

## CONCIO XIV.

POMPA FUNEBRIS AD QUID?

THEMA.

*Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Eccl. VII.

Omnium fere gentium mos receptus erat comitari ad sepulturam funera charorum et vicinorum. Ita imprimis Romani gentiles magno hominum, conluxu et sumptuosa pompa efferebant suos, antiq. Rom. l. V. XXXIX. Deinde Hebræi, de quibus noster Salmeron. in c. VII. Luc. ita scribit: « Placent Deo qui conducunt funera ad sepulturam, cujus rei gratia magnam laudem Tobias in v. t. est consecutus, in novo vero Nicodemus et Joseph, ad Arimathæa. Ægyptii enim permulti comitati sunt Joseph deducentem ossa patris in terram Chanaan. Qui etiam sepelierunt Stephanum et fecerunt planctum magnum super eum, viri timorati dicuntur. » Act. VIII. In evang. etiam Luc. VII. legimus turbam Naim multam cum vidua extulisse filium ejus ad sepulturam. Ita scribit S. Hieronym. factum esse in funere Paulæ, in ep. ad Oceanum. Ad funus S. Martini confluxere monachorum duo millia, et inter alios adfuit S. Ambrosius, corpore Mediolani existens, replicatus Turonis in Gallia, teste Sulpitio, discipulo S. Martini in ep. ad Basulam de vita S. Martini. Denique ad eandem pietatem hortatur nos Ecclesiast. c. VIII. illis verbis: *Mortuo non prohibeas gratiam* (funeri scilicet et sepulturæ) *non desis plorantibus* (ob mortem enim charorum) *in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Habemus igitur pium opus esse, comitari funera fidelium ad sepulturam. Sed quis fructus, et utilitas hujus comitatus? Id nunc investigabimus.

I. Per hoc supremum honorem exhibemus de-

II. PARS HIEMALIS.

functis nostris fratribus et sororibus. Unde honor hic appellari solet supremus; quia civilis honor et benevolentia, quam mundus suis imperitari solet ac potest, hic finem habet. Ideoque antiqui mortem finxere deam, et appellarunt deam *Terminum*. Hujusmodi benevolentie officium exhibuere majores natu Ephesini, quando Paulum, doctorem suum ultimum vale eis dicentem deduxerunt ad navem et magno cum fletu procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo, quod dixerat: *Quoniam amplius faciem ejus non essent visuri*, Act. XX. Simillimum aliquid agunt qui fideles sibi notos et charos deducunt ad sepulturam, non enim videbunt amplius faciem eorum. Et sicut is, qui navigaturus discedit committitur mari, nec quisquam in terra positus opitulari ei potest in quacumque necessitate, ita cum nos efferimus mortuos soli Deo committimus, nec quidquam amplius impendere eis possumus. Jure igitur merito saltem ad portum alterius sæculi eos deducimus, ac sicut fecere Ephesii cum Paulo flexis genibus pro eis oramus, ut saltem precibus prosequamur, quos aliter non possumus. Unde S. August. serm. XLVIII. ad frat. in erem. *Solus, inquit, dimittitur* (defunctus ad sepulcrum) *et quilibet ad propria revertitur et cito oblivioni traditur tanquam mortuus a corde. Non est aliquis qui tantum amicum vel cognatum diligat quod per noctem unam secum morari cupiat.* Quare si non possumus aliis modis prodesse jam defunctis, piis saltem votis, et suffragiis deducendi a nobis in cælum: quemadmodum sancti angeli animam Lazari deduxerunt in sinum Abrahæ. Verum vulgari amicitias utilitate probat; et quia a mortuis nil emolumenti expectat, ideo ipsorum cito obliviscitur et ad viventium obsequia se convertit. Vultis audire exemplum? Apparuit in prorege Indiæ (superiore sæculo anno 1569.) Francise. Cotinio comite de Redondo, qui elatus ad sepulcrum cum magno comitatu, et jam ad sepulcrum depositus, dum interim Joan. Mendoza præsens funeri, successor ejus declaratur, repente versa populi gratulatione ad novum proregem, deseritur ab omnibus: nec remansit ad sepulcrum nisi vile mancipium, quod eum inhumaret. Refert P. Sacchinus, in Lanio, l. VIII. n. CLXIX. Hic nimirum mundi cursus est.

II Quia per hoc luctus eorum, qui funus ex officio curarunt, nonnihil temperatur, mœstisque solatium affertur, præsertim cum lugentibus lugeamus. Hac enim luctus communione dolor mœrentium alleviatur, qui in alios dividitur et ab iis quasi sustentatur; sic eis quasi

mare demersis manum porrigimus, ut eos extrahamus. Eo spectat, quod. S. Aug. de verb. apost. I. ad Thess. IV. ait: *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepultura, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum.* Sublevant ergo atque imminuunt mœrorem lugentium, qui eorum amicos defunctos comitantur cum honore et amore ad honestam sepulturam. Bene S. Chrysost. hom. V. op. imperfecti in Matth. ait: « Semper pluvia bona est maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum suavis est multo tamen suavior in tempore luctus. » Et paulo post: « Sicut navis tunc præcipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur; quando autem prosperata est, ipsa se dirigit, et miles tunc præcipue necessariam habet annonam de rege quando bellum et periculum instat: quando autem pax est, undecumque possunt se milites sustentare. » Sic etiam qui per mortem perdidit charos suos propinquos et amicos, tunc maxime consolatoribus et solatio egent, quando eos afferunt in sepulcrum, nunquam deinceps fruituri eorum præsentia et conspectu. Sane videtur etiam Deus ipsemet ad hoc pium opus incitare nos voluisse eo miraculo, quod operatus est in gratiam Theophanii comitis, viri operibus misericordiæ dediti, ut testatur S. Greg. hom. XXXVI. in evang. « Cum enim appropinquante mortis ejus tempore gravissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum efferri possit eumque uxor cum fletu interrogaret: Quid, inquit, faciam quomodo te sepulcro condam, quæ ostium domus præ tempestate egredi non possum? Respondit ille: Noli flere, quia mox ut defungar, aeri redibit serenitas, cujus protinus et vocem mors et mortem serenitas est consecuta. » Quando igitur et Deus hujus viduæ lacrymas ob defunctum maritum voluit abstergere, justum est, ut nos studeamus temperare luctum eorum, qui defunctos suos terræ commendant et ultimum eis valedicunt.

III. Quia per hoc admonetur viventes mortalitatis suæ, ut dicere sibi cogentur: *Hodie tibi, cras mihi.* Eo respexit Sapiens, quando dixit Eccl. VII. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum et vivens cogitat quid futurum sit.* Loquitur autem de funebri luctu et exequiis ut ibi tradit S. Hier. ad Olympiad. Præferuntur ergo nobis in illa pompa funebri viva quædam specula, qualia olim Ægyptii in suis mensis statuebant seu sculpta seu vera cadavera, ut in ea intuentes biberent convivas admoneant. Verum

utinam non essemus: *Similes homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Consideravit enim et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit, ut ait S. Jac. cap. I. Quod tamen communiter fieri testatur S. Aug. ser. CXX. de diversis: « Cum efferuntur mortui, inquit, cogitatur mors et dicitur: Væ misero, talis fuit, heri ambulabat aut ante septem dies illum vidi, illud atque illud mecum locutus est: nihil est homo, murmurant ossa. Sed forte cum mortuus plangitur, cum funus curatur, cum sepelitur, viget iste sermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ, etc. » Et. I. L. hom. XXVIII. « Quotidie moriuntur homines et qui vivunt deducunt illos, exequias celebrant et vitam sibi promittunt. Nemo dicit: Corrigan me ne cras hoc sim, quod iste quem deduxi. » Quodque magis stupendum, ut advertit S. Chrys. hom. XLVIII. in op. imperf. *Quotidie manibus suis efferunt mortuos, et mortales se esse non putant.* Etenim quando audiunt aliquem mortuum, vel pulsum pro eo dari, interrogant: Quis ille? Resp. talis. Non est mirum, inquit, fuit enim senex, jam maturus fœci mortis; qualis ego necdum sum. Audiunt mortuum juvenem neque hoc ad ipsos, aiunt fuisse temerarium, exposuisse se periculis et aeris tempestatibus. Dicitur defunctus esse vir fortis et robustus. Nil mirum, inquit, intemperanter vixit, in vino mersus est. Aiunt mortuum pauperem, neque hoc mirantur, non habuit unde viveret, dicunt. Fertur mortuus dives sub manu medicorum. Quid mirum? aiunt, occiderunt eum medici, vel non est secutus eorum præcepta. Nihil horum tangit. Sic deluduntur miseri, et immortales se arbitrantur.

IV. Quia per hoc exercemus opus pium ac meritorium, necnon protestationem fidei catholicæ. Prius illud jam ostendimus alias et satis confirmat David, qui propter opus hoc misericordiæ impensum regi Sauli, benedictos appellavit, II. Reg. II. et confirmat S. Aug. de verb. apost. I. Thess. IV. *Si pro viribus, inquit, cura sepeliendi et sepulcra construendi, quia et hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt.* Posterius ex eo patet, quasi si de infidelibus loquamur, nescierunt illi animæ immortalitatem: ideo mortuos suos vel in cineres redegerunt, vel ad corvos abjecerunt, vel si quo honore affecerunt, supremum eum reputarunt, nihil de illorum statu in altero sæculo solliciti, adeoque depositos etiam memoria sepelierunt. Si vero catholicos spectemus, efferunt quidem illi suorum cadavera cum apparatu, sed more politico, sine cruce, sine luce, sive precibus ad Deum pro ip-

sis; denique in profanum agrum nulla benedictione sacratum: ubi id unum procurant ut depositus a blaterone dilaudetur, qualiscumque is tandem fuerit: sed a multitudine procreatorum liberorum, a pluribus successu temporum ductis uxoribus, a generis nobilitate, divitiis, prudentia hujus sæculi, a zelo et fervore retinendæ et propagandæ fidei suæ. Denique promittitur omnibus passim certa et segura cœli hæreditas. Sic discedit a sepulto sine omni pia cogitatione aut precatione quo modo deferuntur patibularii postquam suspensi aut combusti sunt. Nullæ postremo prois sunt exequiæ aut memoriæ in templo, nullæ ad sepulcrum preces, nullæ in pauperes erogatæ elemosynæ. Non omittendum hic quod scribit noster Juc. Gualth. in tabula sua chronographica sæculo decimo septimo in hæc verba: « Mense circiter jul. anno 1613. Villanovæ in provincia Vivariensi moritur notarius quidam publicus Calvinianus, qui sacerdotes pro defunctis dum ad sepulcrum deferrentur psallentes irridere ac rudentibus asinis æquiparare consueverat. Hic cum efferretur, ecce apparet magnus asinus coloris fuscæ, qui nulla ratione abigi potest, quantumcumque id jubeat minister quique unde venerit, aut cujus fuerit, nemo scit. Is quidem circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, ac sepulcrum ejus aliquoties circumiens qui demum eos qui funus erant comitati, ad defuncti domum redeuntes secutus evanescit. Res itaque explicata illic explorataque omnibus est, ut nemo sive catholicorum sive Calvinistarum inficiari audeat. » Hæc ille. Utique asinus hic cacodæmon, quid derisorem catholicarum cæremoniarum suo rugitu honestare, et ad inferos deducere voluit.

V. Quia per hoc stimulantur excitanturque viventes ad sectandam virtutem ac pietatem, ob quam potissimum pompa funebris instituitur. Tametsi enim virtuosæ animæ, quæ ad Deum emigrarunt, pompam hujusmodi minime desiderant, nihilominus tamen Ecclesia justam esse censet ut tales cum honore debito ad aliorum incitamentum deducantur ad sepulturam. Ita D. Hier. ep. ad Saulam de morte Blesillæ scribit: « Postquam autem sarcina carnis abjecta ad suum anima revolavit auctorem et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit ex more parantur exequiæ et nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi tunc clamare de cœlo: Non agnosco vestes, amictus iste non est meus, hic ornatus alienus est. » Similiter scribit de S. Paula, qua ratione episcoporum humeris, aliis pontificibus cereos præferentibus maximo populi

et monachorum accursu elata sit, in ejus vita. Et quis, rogo, non incitaretur ad vitam pietatis instituentem, si videret B. Alexium ab imperatoribus et pontifici summo efferri ad tumulum, S. Romualdum abbatem ad S. Emeranum Ratisbonæ ab Henrico rege, postea imp. S. Gerardum mart. a S. Ladislai Hung. regis humeris transferri, S. Theodoricum abbatem manibus Theodorici Francor. reg. sepeliri? Quodque magis mirum, si cui viro sancto debitus sepulturæ honor defuit, Deus nonnunquam ipsemet miraculo supplevit. Ita anno D. 1062 cum fames intolerabilis Flandros premeret, grandisque multitudo hominum panis quærendi gratia conflueret Aldenburgum, repertus ibi quidam prima luce qui sub dio de nocte fame (ut creditum est) perierat: qui sepeliretur, prohibuit sacerdos Godobertus ne pulsarentur campanæ, eo quod homo esset ignotus; sed ecce tibi stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se aereæ illæ campanæ (mirum dictu) personuerent. Refert Jac. Meyer. I. III. annal. Flandr. anno. 510. Idem accidisse cum S. Bonif. archiep. Mogunt. et mart. Fuldam transferretur, et S. Alberto de monte Drepano, referunt historiæ.

Hujusmodi igitur supremum honorem quadamtenus deferimus hodie defuncto nostro pro viribus saltem nostris, quando satis persuasum habemus eum, cum nobiscum ageret, vitam homine vere christiano dignam transegisse, hæc et hæc præclara facta perpetrasset, etc.

## CONCIO XV.

QUA RATIONE LUGENDI NON SINT DEFUNCTI.

THEMA

*Non contristemini de dormientibus I. Thess. IV.*

Non immerito quis dubitet, quo animo ferenda sit mors charorum, æquone an iniquo, hilari an tristi. Utraque enim sententia suos patronos habet et motiva, ita ut non sit obvium cuivis discernere, quid sentiendum sit. Atque ut a gentilibus incipiamus, Solon mortem suam lugeri jussit: contra Ennius vetuit, vir uterque sapiens. Romani cum luctu novendiali et præficarum planctu suo efferebant: contra alii, ut Massilienses, olim sine lamentatione suos sepeliebant. Troglodytæ mortuorum cervicis pedibus alligabant, sicque cum risu et jocis eos efferebant, apud Ravis. text. in officina, de vario inhumandi ritu. Deinde nostri legislatores non videntur hæc